

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 2193

**Auteur(s) :** Pierre, Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbé)

**Auteur(s) :** Villers-Canivet, Sainte-Marie (abbaye)

**Bénéficiaire(s) :** Villers-Canivet, Sainte-Marie (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1287, 8 avril

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

« Transcriptum de labbé et du couvent de Savignie(analyse du milieu du XIV<sup>e</sup> s.) ».Pierre, abbé de Savigny, constitue moine Geoffroy de Lachonio procureur général de l'abbaye et du prieuré de Villers-Canivet pour traiter avec Guillaume Bertran au sujet du différend sur le patronage de l'église de Saint-Germain-Langot.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Saige Gustave, *Cartulaire de la seigneurie de Fontenay le Marmion*, Monaco, Imprimerie de Monaco, 1895, n° LXXXII, p. 111-112.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, frater Petrus, dictus abbas Savigneii et ejusdem loci conventus, Cisterciensis ordinis, Abrencensis dyocesis, nec non et conventus monialium de Villaribus le Kenivet ejusdem ordinis, Sagiensis dyocesis, salutem in Domino. Noveritis quod nos, ex speciali gratia ab excellentissimo principe Philippo, Dei gratia Francorum rege, nobis facta et concessa, de communi assensu omnium nostrum, constituimus, facimus et ordinamus fratrem Gaufridum de Lachonio, monachum nostrum, et priorem privesiorum monialium predictarum, exhibitem presencium, procuratorem nostrum generalem et etiam attornatum in omnibus causis nostris, querelis et negotiis que vel quas habemus vel habituri sumus contra quascumque personas, seu quecumque persone habent vel habiture sunt contra nos, coram quibuscumque judicibus ordinariis, extraordinariis, delegatis, subdelegatis, baillivis, vicecomitibus, servientibus, justiciariis et omnibus aliis, tam ecclesiasticis quam secularibus, quibuscumque nomine censeantur, et maxime ac specialiter in causa quam movet seu movere intendit contra nos vir nobilis dominus Guillelmus Bertran, miles, seu quam movemus vel movere intendimus contra ipsum. Dantes eidem procuratori nostro et etiam attornato liberam potestatem et speciale mandatum agendi pro nobis et monasterio nostro et defendendi nos ac monasterium nostrum contra ipsum et contra omnes alias adversarios nostros, jurandi de calumpnia et de veritate dicenda in animas nostras et sua, et faciendi cuilibet alterius generis sacramentum quod exigit ordo jurandi, alium procuratorem loco sui substituendi quocienscumque voluerit et sibi viderit expedire, qui eamdem in omnibus habeat potestatem, et omnia alia et singula faciendi que potest et debet facere legitimus procurator et eciam attornatus ; et que faceremus vel facere possemus si presentes essemus ; ratum et gratum habentes et habituri quicquid in omnibus negotiis nostris per ipsum procuratorem et etiam attornatum seu per substitutum ab eodem factum fuerit, seu eciam procuratum, promittentes pro ipsis sive altero eorumdem, sub hypotheca rerum nostrarum et monasterii nostri si necesse fuerit, judicatum solvi secundum formam juris. Et

hec omnibus quorum interest seu interesse potest significamus per presentes litteras sigillo nostro unico que utimur sigillatas. — Datum anno Domini M° CC° octogesimo septimo, die Martis post Resurrectionem dominicam.